

(Mierkowki J.) Musdr.. ac Rever...  
Scholae Piae.. (1799)



JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO  
AC  
REVERENDISSIMO DOMINO  
JOSEPHO BONCZA  
**MIAASKOWSKI**  
EPISCOPO VARSAVIENSIS  
ORDINIS AQUILA RUDRAE EQUITI  
IN SOLEMNI EJUS INGRESSU  
AD CATHEDRAM EPISCOPALEM RECENS ERECTAM.

SCHOLÆ PIÆ VARSAVIENSES

CONGREGATIONIS ET SUO NOMINE

Die 21. Decembris 1799.

---

Hic ames dici Pater atque Princeps.  
*Horatius ad Augus:*

---

O D E

Deserta nido, Mater ubi pia,  
Extra moratur, progenies fame  
Vexata, fessos usque et usque  
Circumagit queritans ocellos.

XVIII. L. 1143

<http://rcin.org.pl>

❧      ♚      ❧

Ac, dum paratos illa redux cibos  
Fert, visa Natis, innocuum genus  
Ludō salutatam canorō,  
Excipiunt hilares Parentem.

Desideratus VARSAVIENSIMUM,  
Tu præstolanti sic CATHEDRÆ venis,  
Olim Administrator peritus,  
Dux hodiè meritusque PRÆSUL.

Clavem ligandi Clave Scientiæ  
Firmans Honores congeris INFULÆ,  
Stirpisque celsæ celsiore  
Multiplicas cumulo decorem.

Sunt verba FAMÆ: „ non sibi sed Suæ  
Hanc Dignitatem suscipit ad bonum  
Ecclesiæ Vir tantus, almo  
Quam sibi Connubio jugavit.

Hic, Stalla Mystam, quem celebrant probum,  
Virtusve clari Germinis optimum  
Civem perorat, gesta tradet  
In Chronicis memoranda Libris.



Hic judicando Cognitor inclytus,  
In terminandis litigiis Gregis,  
Servator æqui , sustinebit  
Jus Superis Populoque sacrum.

Certò faceſſent insidiæ lupi,  
BONCZA sub Argo; quin Duce tam bono,  
Stringentur arctè complicatis  
Recta Fides Pietasque dextris. ,,

Hæc FAMA; Clerus cum Grege plurimo  
Uterque , plausus intonat affatim:  
Ascende felix, spesque nostras  
Sollicitus moderare PASTOR. |

Jo! ter io! vive diu Tibi,  
Et vive nobis Pontificum decus,  
Collata de Cœlo Potestas ,  
Quos Tibi crediderat regendos.

Jo! ter io! nosque Scholæ Piæ,  
Blanda canentes insequimur chely,  
Et quà Patrono Literarum,  
Pierium ferimus tributum.

Ætas delebit Zeuxea lintea,  
Artes delebit Praxitelis quoque;  
Ast acta Musæ penicillô  
Non perimit Libitina dura.

Hoc ergo versu Promeritum Tuum,  
Et Lux, bicornem quâ recipis Mitram,  
Æternet, ac unâ Clientum  
Officium maneat superstes.



XVIII. 2. 1143

<http://rcin.org.pl>

1940



